ad imagines in eis sculpendas aptę sunt. Harum quanq; multę numero sunt, Peantides tamen que & Gemmoliuidas nuncupatur quo nomine prægnantes ac plenæ significantur, sese principem effert, quod usu uulgatior est. dicitur mederi parturientibus, & etiam parere, tales inueniuntur in Macedonia, iuxta monumentum Tiresiæ, Speciesq; est eis aquæ glaciatæ, de eis etiam sunt Mesomele, nigra uena quemlibet colorem secāte per medium. Nasomonites sanguinea nigris uenis. Nebrides libero patri sacra, nomen traxit a Nebridum similitudine. In sculpendarum gemmarū arte, Pyrgoteles princeps fuisse scribitur, ex quo se uetuit Alexander ab alio sculpi, facilius etiam quæ uoluerimus, gemmis insculpi terebra seruefacta.

Nasomo.
Nebrides

Vnde gemmis nomina indita sunt.

¶ Nomina gemmis indita sunt, uel a membris animaliū, ut Hepatites a iocinore. Vriopthalmos tres hominis oculos simul exprimens. Vel ab animalibus, ut carcinias, qui cancri marini colorem imitatur. Echites que uipere. Scorpites que Scorpionis aut colorem, aut effigiem exprimit. Æglopthalmos que caprino oculo similis. Et a gruis collo Geranites. Heracitis accipitris collum referens Ætitos a colore aquilæ candenti s